

peccatis tuis, quæ commisisti cogitatione, locutione, opere & omissione: Et ego autoritate Domini nostri Iesu Christi, qua fungor in hac parte, te absoluo ab omnibus sententijs excommunicationis minoris & maioris, ab homine uel à canone in te latis, & ab omnibus peccatis tuis, Deo & mihi confessis, contritis & oblitis, & restituo te in gremium sanctæ matris & participationi Sacramentorum ✠ In nomine patris & filij & spiritus sancti, Amen.

NOTA COMMVNIS

Post iniunctam penitentiam & absolutionem dictam, abeunti dicatur ex Ioan: 5. & 8.
Vade in pace & noli amplius peccare, ne deterius quid contingat tibi.



Appen



APPENDIX


DE VERA CHRISTI ECCLESIA
& differentia inter bonos & malos sacerdotes,
cum breuissima instructione, De opere
operato in Missa, &c,


Verba Christi (utpote Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, Matt: 16.) Non sunt temerè dicta, sed firma sunt & perpetuò sic mansura. Impugnabitur quidem Ecclesia, uinci tamen non poterit. Tempestates & magna mala suscipit, sed non demergitur. Tanquã mater pia & patiens, infinitis persecutionibus & deuastationibus obruta, multa quidem tolerat, quæ tamen non approbat. Iacula in eam mituntur


F

1839









COMPENDIOSA
INFORMATIO
QVA RATIONE ET

INTENTIONE, CATHOLICI SA-
cerdotes, S.S. Missæ sacrificium ritè
celebrare, Horas Canonicas absoluere, simul & legi-
timè confitentibus absolutionè sacramentalem dicere
debeant. IVNIORIBVS VTRIVSQUE

LVSATIAE PRESBYTERIS
CATHOLICIS obiter
praescripta.

A

REVERENDO VIRO, D. IOANNE
LEISENTRITIO ADMINISTRA-
tore Ecclesiastico & Decano
Budissinen: etc.

Accessit Appendix de uera
Christi Ecclesia & differentia inter bonos &
malos sacerdotes, cum breuissima in-
structione de opere operato
in Missa.

ANNO M. D. LXX.

840

pol. VO 16 L
1053

THREN. I.

*Attendite dolorem meum, & uidete sicut
dolor sicut dolor meus.*



PSAL. LIII. MAT. VIII.

*Verè languores nostros ipse tulit & dolores
nostros ipse portauit.*

COMPEN^o

CŌMPENDIOSA.

INFORMATIO,

QUA RATIONE & INTENTIONE
Catholici Sacerdotes S. S. Missæ sacrificium ritè
celebrare, & horas Canonicas absoluere, simul &
legittimè confitentibus absolutionem Sacramentalem
dicere debeant, IVNIORIBVS VTRI

VSQVE LVSATIAE PRÆS-
BYTERIS CATHOLICIS,
obiter præscripta

A.

REVERENDO VIRO D.

IOAN: LEISENTRITIO ADMI-
nistratore Ecclesiastico & Decano
Budissinen: &c.

NOTA. I.

Quomodo Sacerdos se preparare
debeat ad Missam dignè
celebrandam.



LECTIS & DEBITA DE-
uotione absolutis precibus hora-
rijs, adiunctisq; alijs, quæ accessus
Altaris appellari consueuerunt,
Quoties Sacerdos verè pius &
Catholicus, ad S. S. mysteria Missæ celebranda,
tractanda, & sumenda iam accinctus fuerit,
necesse est meminere, Quid & quàm tremen-

A 2 dum

QVA RATIONE

dum sacrificium sit Missa, quæ preces nostras
 fert & mittit ad Deum, ista non ex obligatione
 vel consuetudine, nec quæstus gratia &c. sed
 veræ pietatis ergo celebranda (ut in nostro li-
 bello, de vera ad eam præparatione, vel alibi,
 sacerdos legere poterit.) Vnde sine vlla cuncta-
 tione in ipsam debitam & salutiferam prorum-
 pat deuotionem, qua (diuina tamen primò om-
 nium inuocata gratia) preces, propter DEVM
 & potissimum ad ipsius honorem atq; gloriam,
 habeat de peccatis suis displicentiam cum pro-
 posito omnia peccata, saltem mortalia, euitandi
 infuturum. Intuper diligenter curet observa-
 tionem mandatorum DEI, similiter pro pecca-
 torum remissione & æterna animæ salute con-
 sequenda, in detestis precibus, implorer diuinam
 misericordiam & CHRISTVM IESVM sal-
 uatorem nostrum, qui ipsa in misericordia, vita &
 dulcedo nostra est. Ad hæc confratri tuo, hoc est,
 legitime ordinato & Catholico sacerdote peccatum
 siue peccata, si quæ commiserit, de quo
 vel quibus iustam penitentiam non egerit, li-
 bere, voluntarie & integre, Sacramentaliter
 confiteatur, & de super non solum modò abso-
 lutionem, verum etiam salutarem penitentiam,
 sibi in iungendam petat & recipiat. Tandem di-
 gne & competenter prædictum S. S. Missæ
 sacrificium peragendum ag-
 grediatur.

QVID

MISSA CELEBRANDA. 3

QVID MISSA SIT.

Est autem Missa, nihil aliud quam sacrosanctæ passionis Christi commemoratio, in qua panis & uinum, ex Christi institutione, consecratur atq; corpus & sanguis Christi, sub panis uinique specie, cœlesti patri offertur eademq; in animæ alimoniam accipit. Ea nimirum est Missæ substantia, ab ipso Christo in cœna seruata ac instituta.

QVA INTENTIONE CELEBRANDA SIT MISSA.

Sacerdos celebraturus Missam, necesse est debitam habeat intentionem (sine qua nihil agitur, teste D. Augustino, illa enim ad perfectionem Sacramenti requiritur, iuxta S. Thomam &c.) utpote, se uelle facere, quod fecit,

A 3 cit,

QVA RATIONE

cit, instituit & fieri mandauit
Christus, uel quod facit Eccle-
sia iuxta mandatum Christi
(Lucae 22.) dicentis.

Hoc facite in meam
commemorationem.

INTENTIO CONFICIENDI COR-
pus & sanguinem Christi, iuxta D. August.
etiam hæc esse poterit.

Ego N. offerre intendo,
mirabile illud & cœleste sacri-
fitium, omni reuerentia & de-
uotione dignum. Quod Do-
minus noster IESVS CHRIS-
TVS sacerdos immaculatus
instituit & offerri præcepit, in
commemorationem suæ chari-
tatis, hoc est mortis & passio-
nis, pro salute nostra & quoti-
diana

diana nostræ fragilitatis repar
atione, &c.

VEL IN HVNC MODVM IVXTA D.
Ambro: & reliquos S. Ecclesiæ Doctores,
sit intentio, ad celebrandum &
consecrandum.

Ego N. memor uenerandæ
passionis Domini, nostri Iesu
CHRISTI, &c. Accedam ad
altare, quod significat mensam
illam, in qua Christus cellissis
mum instituit Sacramentum,
panem sua præpotenti uirtute
transferens in corpus, & uinum
in sanguinē suum, Mandansq;
Apostolis suis, ut & ipsi idem
facerent. Sicut igitur Christus
fecit & statuit faciendum. In
tendo & ego facere in commemo
rationem suæ amarissimæ

QVA RATIONE

passionis, ad salutem omnium
tam uiuorum quàm defunctorum,
&c.

SACERDOS ETIAM IGNORARE
non debet, quòd intentio sit
triplex.

Pro intentione requisita in
consecratione notandum est
(aiunt Doctores) quod inten-
tio alia sit actualis: alia habi-
tualis: alia uirtualis: quæ est
quasi Media, inter duo prima.

Actualis intentio, est actualis
consideratio, & dicitur atten-
tio, Ille enim actualiter inten-
dit: siue attendit, quod habet
actum licitum, respectu illius
quod intendit. **H**abitualiter
uerò intendit ille, qui habet habi-
bitum

bitum inclinante ipsum ad actum intendendū. Ille autē qui minus perfectē intendit, quā primo modo: & magis perfectē, quā secundo modo, Intendit **V**irtualiter illud, qđ alius intendit, utpota, cū quis accedens ad altare, actualiter intendit celebrare, Postea tempore consecrationis, est distractus ad alia. Tunc non habet actualem intentionem: quia impedit distractio non solum actualem sed etiam habitualem, quia talem habet dormiens: habet ergo intentionem medio modo, s. uirtualem. Quia in uirtute intentionis actualis, de propinquo præcedentis,

A 5 fiunt

QVA RATIONE

fiunt omnia, quæ facit confe-
 quenter circa consecrationem,
 ac si ab una radice peruenirent.
 Non ergò requiritur in conse-
 crante **Intentio actualis** con-
 tinua, quia non obligauit Deus
 hominem ad impossibile seu
 nimis difficile: cuiusmodi est
 non distrahi. Tamen secundum
 Augustinum, 3. de libero arbi-
 trio: non est in potestate nostra,
 quibus uisis tangamur: nec suf-
 ficit intentio merè habitualis:
 ut apud Sco: d. 7. & apud cæte-
 ros authenticos Ecclesiæ Do-
 ctiores docetur, **Requiri** ergò
Intentio uirtualis, derelicta
 ex intentione actuali prima
 consecrandi.

Porro

PORRO NECESSE EST SACERDOS
pariter sciat, quæ differentia sit inter inten-
tionem & attentionem.

Licet tamen intentio semper est necessaria de substantia, non è contra tamen attentio. Vnde si mens rapitur ad alia ex infirmitate, uel negligentia, uel incuria: non ideo est minus consecratum, quàm si affuisset attentio. Peccat tamen ille, qui consecrat, & non intelligit, & se non recolligit, quantò attentius potest ad consecrationem. Nam debet attentus esse ad hoc, ut consideret quid faciat: & tunc maximè quando plures hostias consecrat pro communicantibus: Vnde debet habere respectum specialem, ad illas hostias omnes, quæ sunt coràm eo, &
ad

QVA RATIONE

ad certum numerum se deter-
minare non debet, sed (ut præ-
dicitur) intentionem habeat
omnes consecrandi, quotcunq;
ante se habet, hostias. Plura
apud D. Nicola: de ploue in
suo tracta: Sacerdotal.

SACERDOS CVM IAM SCIVERIT
quid Missi & vera intentio sit, &c. Sciat
etiam duplex esse sacrificium.

Nam secundum sacræ scri-
pturæ, & sanctorum patrum
testimonia, Catholica Ecclesia
duo Christi sacrificia agnoscit,
(eadem secundū substantiam,
sed secundum rationem & ri-
tum offerendi, multū diuersa)

Vnum in cruce cruentum:
Alterum, quo in cœna, sub
panis

panis & uini specie, corpus & sanguinem suum ipse sacerdos, iuxta ordinem Melchisedech, Patri obtulit, perpetuum condens nouæ legis sacrificium, quod Apostolis suis ac successoribus ipsorum, ut ad finem usq; sæculi in memoriam ipsius facerent, commendauit, Horum ut modus offerendi diuersus, sic & usus discretus est: cruento suo sacrificio, Christus totius mundi reconciliationem & propitiationem pro peccatis, & plenam omnium redemptionem impetrauit. Alterum uerò sacrificium, ad recordationem cruenti sacrificij institutū, & Ecclesiæ commendatum est, quo

QVA RATIONE

quo Christum impassibili & incruento modo, sistimus Patri, non ut remissionem peccatorum, & redemptionem de nouo mereamur, sed ut in cruce meritam, fide & deuotione nobis applicemus, Christi iussione sequentes, qua iussit, ut hoc in memoriam sui faceremus, id est, ut per memoriam & meritum passionis suæ, Patrem pro reconciliatione nostri, & peccatorum remissione, & animarum nostrarum salute, proque corporum ac rerum nostrarum incolumitate, deprecaremur, &c.

SACERDOTE ETIAM NON LA-
teat, quanta poena futura sit indignè celebran-
tibus, contra quos S. patres fidei nostræ
Catholicæ prædecessores vnani-
miter clamirant.

Veh

Veh ijs & iterum ueh, qui
sordida & polluta conscientia
tractant corpus Christi tanquã
carnes agni quæ uenduntur in
macellis.

D. AMBROSIVS IN PERSONA
Christi alloquitur indignè cele-
brantem sacerdotem.

O peccator sacerdos indig-
ne, noli me amplius affligere.
Nam plus me lædit uulnus pec-
cati tui, quàm uulnus lateris
mei.

SIC & D. AVGVSTINVS.

Mallem Pilati, Iudæ, He-
rodæ (ait) sustinere pœnam,
quàm sacerdotis indignè con-
ficientis & communicantis.

CONCLUSIO DICTO-
rum, S. P.

Qua

QVA RATIONE

Qua propter omnis sacerdos meminerit sibi salutiferum esse, nulloq; modo intermittendum, quin diuina gratia inuocata, studeat se conseruare in omni puritate & conseruatione bonæ conscientia atq; munditia cordis: ut Deum uidere possit in Syon. Beati enim mundo corde, Quoniam ipsi Deum uidebunt. Mat. 5.



I. CORINTH. II.

Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec ueniat. Quicumq; igitur manducauerit panem hunc & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini, &c.

RITVS

MISSA CELEBRANDA. 9

RITVS MISSAM

CATHOLICE AVSPICI-

CANDI, CELEBRANDI ET

peragendi in Dioecesi nostra esse

debet, ut sequitur.



B NOTA.

QVA RATIONE

N O T A.

SACERDOS SACRIS VESTIBVS
indutus transeundo ad Altare, dicat
Psalm : 42.

Iudica me Deus & discerne
causam meam de gente non sancta,
ab homine iniquo & doloso erue me, &c. Vsq; ad finem.

HOC PSALMO FINITO SACERDOS
iam ad Altare perueniens prosternat pallam
(vt vocant) & corporale,
dicendo.

Diuiserunt sibi uestimenta
mea, & super uestem meam miserunt
sortem, Psal : 21.

POSTEA EXPONAT CALICEM
cum patina, quam affulciat calici & manibus
statim decenter coniunctis & deuotè erectis,
ante Altare stando, præmittat Hym-
num cum Collecta:

Veni sanctorum Spiritus
reple tuorum corda fideiũ, &c.
Collecta

COLLECTA.

Deus q̄ corda fidelium sancti
Sp̄s illustratione docuisti, &c.

HYMNO PRAEDICTA RATIONE
absoluto faciat Sacer: signum crucis ad Altare
Osculetur illam tandem & iterum faciat
crucem eleuando manum versus fa-
ciem, & dicat.

Iube Domine benedice
re, &c.

CUM ITAQUE SACERDOS IAM IN
actu & promptus fuerit ad pedē altaris descen-
dere, vertendo se ad populum confestim versus
faciem ante se (duobus solummodò digitis prio-
ribus erectis, reliquis verò in concauitatem ma-
nus compressis) ad formam subsequen-
tem, manu dextra faciat crucem
& dicat.

In nomine ✝ Patris & filij
& spiritus S.

TANDEM FLEXIS GENIBVS TO-
roq; corpore ad veram deuotionem directo si-
mul & vtriusq; manibus deuotè compositis sa-
cerdos vnâ cum Ministro pergat & sibi
respondere permittat, sequen-
ti modo.

A 2

SACER

QVA RATIONE
SACERDOS.

Sancti spiritus adsit nobis
gratia.

MINISTER.

Amen.

SACERDOS.

Adiutorium nostrum in
nomine Domini.

MINISTER.

Qui fecit cœlum & terram.

SACERDOS.

Introibo ad Altare Dei.

MINISTER.

Ad eum qui legitimat iuuen-
tutem meam.

SACERDOS.

Confitemini Domino quon-
iam bonus.

MINI

MINISTER,

Quoniam in seculum misericordia eius.

HIS ABSOLVTIS, DICATUR CONFESSIO, quam, pariter mutuq & vicissim faciunt & facere tenentur sacerdotes cum Ministris Altaris seu assistentibus, vt sequitur.

Sacerdos eleuet manus & dicat.

Ego reus & conscius multorum malorum confiteor Deo patri omnipotenti & B. Mariæ semper uirgini & omnibus sanctis & uobis. Quòd nimis peccauit in uita mea, contra legem Dei mei, mala cogitatione, locutione, bonorum operum omissione, pollutione, uisu & risu, uerbo & opere, mea culpa, (Hic sacerdos tundat pectus) mea maxime

B 3 ma

QVA RATIONE

ma & grauissima culpa. Ideo
deprecor Beatam & gloriosis-
simam Dei genitricem uirgi-
nem Mariam, Sanctum Petru,
S. Paulum, Sanctam Mariam
Magdalenam, S. Annam, &c.
(Hic sacerdos nominare & exprimere poterit
quot & quos voluerit sanctos & sanctas)
Istos & omnes sanctos & sanc-
ctas Dei, & uos frates, ut oretis
pro me peccatore.

MINISTER Resp.

Misereatur tui omnipotens
Deus & dimissis omnibus pec-
catis tuis, perducatur te Dominus
noster Iesus Christus in uitam
æternam.

SACERDOS Resp.

Amen.

Hic

MISSA CELEBRANDA. 12

HIC DILIGENTER NOTANDUM
est, quòd Minister pari modo præscriptam (aut
aliam, quam scit vel vult) dicere debeat confessio-
nem, desuper sacerdos subsequenti modo
respondeat, elevatis ma-
nibus.

SACERDOS.

Per uirtutem Amarissimæ
passionis Domini nostri Iesu
Christi, & per intercessionem
sanctissimæ Dei genitricis uir-
ginis Mariæ dulcissimæ Ma-
tris eius, & per merita omnium
sanctorum, Misereatur nostri
omnipotens Deus & dimissis
omnibus peccatis nostris, per-
ducat nos sine macula & cum
gaudio in uitam æternam.

MINISTER Resp.

Amen.

B 4 Sacer

QVA RATIONE
SACERDOS.

Christe exaudi nos.

MINISTER.

Saluator mundi adiuua nos.

SACERDOS.

Oremus, Indulgentiam & absolutionem omnium peccatorum nostrorum, cor semper pœnitens, perseuerantiam in bonis operibus, gratiã & consolationem sancti Spiritus, finem bonum, uitam æternam, tribuat nobis omnipotēs Deus, pius pater & misericors Dominus.

MINISTER Resp.

Amen.

SACER,

MISSA CELEBRANDA. 13

SACERDOS.

Saluet & confirmet nos uir-
tus Christi,

MINISTER Resp.

Amen.

SACERDOS.

Deus tu conuersus uiuifi-
cabis nos.

MINISTER.

Et plebs tua lætabitur in te.

SACERDOS.

Ostende nobis Domine
misericordiam tuam

MINISTER.

Et salutare tuum da nobis.

B. 5 SACER.

QVA RATIONE
SACERDOS.

Non nobis Domine non
nobis

MINISTER.

Sed nomini tuo da gloriam.

SACERDOS.

Sacerdotes tui induantur
iustitia,

MINISTER.

Et sancti tui exultent.

SACERDOS.

Esto nobis Domine turris
fortitudinis.

MINISTER.

A facie inimici.

SACERDOS.

Peccauimus Domine cum
patribus nostris.

Minis

MINISTER.

Iniustè egimus & iniquitatem fecimus.

NOTANDVM QVOD HOC IN LO-
co festi vel temporis inserendus est Versiculus, &
quando sacrum celebratur pro defunctis adij-
ciendū esse. Requiem æternam do-
na eis Domine. Quibus Minister re-
spondeat. Et lux perpetua luceat
eis. Postea,

SACERDOS.

Domine exaudi orationem
meam.

MINISTER.

Et clamor meus ad te ue-
niat.

SACERDOS.

Dominus uobiscum,

MINISTER.

Et cum spiritu tuo.

Sacerdos

QVA RATIONE
SACERDOS.

AD HABC DICAT SACERDOS EX-
tendendo & statim recludendo manus.

Oremus. Exaudi quæsus-
mus Domine supplicum pres-
ces & confitentium tibi parce
peccatis, ut pariter nobis indul-
gentiam tribuas benignus &
pacem. Per Christum Domi-
num nostrum, &c.

MINISTER.

Amen.

HIC SVRGAT & ASCENDAT AL-
tare, muniendo se cruce sancta
dicat.

SACERDOS.

Auffer † à nobis Domine
cunctas iniquitates nostras, ut
puris mentibus mereamur in-
troire ad sancta sanctorum.

SACER

MISSA CELEBRANDA. 15

SACERDOS QVAM PRIMVM ALTARE ascendendo attigerit & in medio steterit (vbi inclusa iacent sanctorum reliquia) faciat crucem super corporale eamq; osculetur & facie ad crucis imaginem deuote versa, dicat.

Tuam Crucem † Adoramus Domine, & tuam gloriosam recolimus passionem. Tu qui passus es pro nobis in cruce, miserere nobis.

TANDEM ACCEDAT LIBRVM Missalem & Euangelium, quod debet legi (facta desuper cruce) osculetur & dicat.

Pax † Christi & Ecclesie, qua Dominus nobis per Euangelium suum tradidit, confirmet & conseruet corda & corpora nostra, in uitam aeternam.

MINISTER Resp.

Amen.

SACER

QVA RATIONE

SACERDOS FACIAT TANDEM
cruce[m] in frontem & dicat.

Adiutorium † nostrum in
nomine Domini.

MINISTER.

Qui fecit cœlum & terram.

SACERDOS signet labia.

Domine † labia mea aperies.

MINISTER.

Et os meum annuntiabit
laudem tuam.

SACERDOS signet pectus.

Sancti spiritus adsit nobis
gratia.

MINISTER.

Amen.

HIC COMPONAT SACERDOS MANUS,
illasq; erigat & non tam gestibus quam
mentis oculis deuotissime in altum respiciat
dicendo.

Oremus

Oremus

Da mihi Domine sensum
rectum, fidem perfectam, uocē
cē puram, ut dignè annuntiare
possim laudem diuini nominis
tui, ad promerendam magnam
misericordiam tuam & sempiternam gratiam. Qui uiuis &
regnas DEVS per infinita se-
culorum secula.

MINISTER Resp;

Amen.

SACERDOS faciat crucem coram
se & dicat

In nomine patris & filij &
spiritus sancti, Amen.

MINISTER Resp;

Amen.

Hic

QVA RATIONE

HIC INTROITVM MISSAE INCIPIAT, & postquam (vt liber Missalis docet) omnia in primo latere altaris absoluerit (libro tamen ad secundum latus posito) sanctum Euangelium lecturus, faciat crucem super altare e regione calicis in medio stantis atq; osculetur illam crucem: & dicat.

Iube † Domine benedicere, (& confestim cruce signat pectus, postea labia deinde) Dominus noster Iesus Christus sit in † corde meo & in † labijs meis (statim manus coniungat & magnæ deuotionis exhibitio ne humiliet se & pergat in sequentibus) ut dignè & competenter pronuntiare possim sanctum Euangelium pacis, idq; (Hic coram se faciat vnâ solummodò crucem & vno anhelitu dicat) In nomine patris † & filij & spiritus sancti.

MINISTER Resp.

Amen.

SACER.

MISSA CELEBRANDA. 17

SACERDOS mox præmittat.

Dominus uobiscum.

MINISTER.

Et cum spiritu tuo.

SACERDOS.

Sequentia sancti Euangelij
secundum N.

MINISTER.

Gloria tibi Domine.

SACERDOS VERSA FACIE AD AL-
tare immediate dicat.

Qui natus es de pura uir-
gine Maria miserere nobis

HIS DICTIS INCIPIAT
Euangelium.

In illo tempore, &c.

C

S. Euang.

QVA RATIONE

S. EVANGELIO ABSOLVTO, AN-
tequam sacerdos reliqua aggrediatur ad me-
dium tabulae Altaris deuotè vultu di-
recto, illico submissa voce
adiungat.

Per istos sermones sancti
Euangelij, Indulgeat nobis Do-
minus noster Iesus Christus
omnia delicta nostra & faciat
nos adimplere sua sanctissima
præcepta.

DE PRAEPARATIONE calicis.

N O T A.

PORRO SCIENDVM EST, QVOD
sacerdos poterit vel ante vel post Euangelij seu
symboli lectionem calicem preparare & pri-
mò accipiat patenā, eamq; tergat aut sacculo aut
alio albo & puro linteolo, deinde supponatur.
Hostia & tegatur custodia in sinistro vel etiam
dextro latere super corporali, Accipiat & calicē
sinistra manu, dextra verò tergat, tersumq;
inuoluat à latere, quando porrigitur ampulla

(Vt

(vt vocant) cum vino, illam antequam in suam
acceperit manum.

MINISTER TRADENS AMPVL-
lam Sacerdoti, reuerentiæ causa, aliqua
ex parte flectat genua &
dicat.

Iube Domine benedi-
cere.

SACERDOS DESUPER FACIAT
crucem & dicat.

In nomine patris † & filij &
spiritus sancti.

VINVM PAVLATIM IN CALI-
cem infundens dicat.

In nomine Domini nostri
Iesu Christi, de cuius latere exis-
uit sanguis & aqua, in remissio-

C 2 nem

QVA RATIONE

nem omnium peccatorum no-
strorum.

SASERDOS ALTERAM AMPVL-
lam accepturus in manum, proferat.

Hæc creatura aquæ, bene-
dicatur, In nomine † patris &
& filij & spiritus sancti.

MINISTER Resp.

Amen.

ALTERA AMPVLLA ITAQVE AC-
cepta sacerdos tres, vel quatuor guttas aquæ
decenter infundendo,
dicat

Fiat pariter hæc commixtio
uini & aquæ, In nomine patris
& filij, & spiritus sancti, Amen.

AD VTRVNQVE HVMLITATE
debita præstita, calicem cooperiendo, vel in-
dice dextro, puro linteolo inuoluto, in
concauitate calicis guttas ex-
tergendo, dicat.

Orcus

Oremus.

Omnipotens sempiterne
 Deus, qui humanæ substantiæ
 dignitatem mirabiliter condi-
 disti, & mirabilius reformasti,
 da nobis per huius uini & aquæ
 mysterium, eius diuinitatis fieri
 consortes. Qui humanitatis
 nostrę particeps fieri dignatus
 est, Dominus noster Iesus
 Christus dilectus filius tuus,
 Qui tecum uiuit & regnat in
 unitate, spiritus sancti Deus,
 per omnia secula seculorum,
 Amen.

Postquam SACERDOS colloca-
 uerit calicem, in modum crucis super cor-
 porale, dicendo, In nomine ✝ patris
 & filij & spiritus sancti, Ponat de-
 super patenam cum hostia, recta custodia &
 aggrediatur (absoluto offertorio)

QVA RATIONE

Canonem minorem utpote, In spiritu hu-
 militatis, &c. cui ob maiorem deuotio-
 nem impetrandam, præmitrat Hymnum cum
 sua Collecta. **Veni sancte Spiritus**
 &c. His peractis, feliciter incipiat prædictū
 Canonem & obliuioni non tradat post versio-
 nem ad populum & precationem, **Orate**
 dicendum esse submissa voce, **Dominus**
uobiscū, Oremus, ꝛc. & quotquot
 antea collectas præmiserit totidem eodem or-
 dine assumere & illas concludere debet, per
Dominum nostrum, &c. & dein-
 cept statim clara voce adiungat, **Per omnia**
secula seculorum, ꝛc. ut Missale de his
 & alijs docet & ostendit, &c.

PRAEPARATIO AD MAIOREM
 canonem hoc modo fiat

Sacerdos quàm primùm præfationē
 de tempore, vel festo vel feria absoluerit, inclinet
 se manibus super Altare positis, dicens, **San-**
ctus, sanctus, sanctus Dominus
Deus Sabaoth ꝛc. (Tundendo pectus)
Osanna in excelsis, Postea erigat se
 versus dextrum cornu Altaris, signet se signo
 sanctæ

sanctæ crucis, procedens & dicens, Benedic-
 ctus qui uenit in nomine Do-
 mini, Osanna in excelsis. Quo di-
 cto conferat se tandem ad primum latus Epi-
 stolæ, ubi Ministrum stantem permittat sibi ad
 manus (præsertim verò ad priores digitos con-
 secratos) puram fundere aquam, illosq; lauan-
 do dicat:

Oblatus est, quia ipse uo-
 luit & sicut ouis ad occisionem
 ductus est, & sicut agnus coram
 tondente obmutuit & nō ape-
 ruit os suum. Ipse quesumus,
 sanctissime pater, omnipotens
 æterne Deus, tibi reddat hoc
 sacrificium acceptum, Quod in
 sui memoriam fieri, sua sanctis-
 sima traditione demonstrauit,
 Dominus noster Iesus Chris-
 tus dilectus filius tuus, qui te-
 cum uiuit & regnat, & c.

QVA RATIONE

HIS REVERENTER DICTIS ET
digitis tersis, sacerdos redeat ad secundum latus
& cum processerit ad medium altaris ibi facto
signo S. crucis in corporali eam osculetur reue-
renter, Deinde manibus iunctis etiam osculetur
Imaginem crucis in libro & paulum in-
curuans genua dicat.

Qui passus es pro nobis in
cruce, miserere nobis.

Hoc dicto, celebrans incipiat maiorem ca-
nonem & perficiat omnia debito animi pro-
posito, intentione & sanctitate, iuxta modum
superius sibi præscriptum, Præterea recordetur
quando in canone maiori peragenda sit memo-
ria viuorum, tunc debeat quietè stare, capite mo-
dicum inclinato & manibus coniunctis vsq; ad
mentum vel pectus eleuatis. Nomina autem il-
lorum Christi fidelium siue verba ibidem con-
renta non exprimat sed solùm in mente, ad
subsequentem formam, eorum memoriam &
piam recordationem habeat. Post finem autem
memoriarum, quasi ex somno expergefactus
dicat reliqua, vt in libello nostro de salutari, ad
S.S. Missæ celebrationem præparatione, præno-
santur, nihilominus tamen, etiam ad hunc mo-
dum memoria viuorum fieri
poterit.

MEMO.

MEMORIA

VIVORVM (IVXTA CV-

iuslibet tamen deuotionem & necessitatis re-
quisitionem) non incommode etiam hoc
pacto fieri potest.

I. Deus propitius esto mihi
peccatori, tuæ amarissimæ pas-
sionis memoriam & celebratio-
nem indignè peragenti, con-
fer mihi spacium ueræ pœni-
tentix, emendationem uitæ &
perseuerantiam in bonis operi-
bus, concede p̄ssime Domine
mihi secundum clementiam ac
benignissimam misericordiam
tuam, sic custodire, regere &
finire uitam meam, ut in pace
dormiam & in te requiescam,
Prestaq̄ in finē, ut me excipiat
somnia cum requie, requies

C 5 cum

QVA RATIONE

cum securitate, securitas cum
æternitate, Amen.

II. Miserere etiam, Domine,
summi pontificis nostri N. om-
nium Prælatorum, Sacerdotū
& totius sacri ordinis catholice
Ecclesiæ ministrorum, quibus
per tuam omnipotentem gratiã
perpetuò adsit uirtus spiritus
sancti, qui corda & corpora il-
lorum clementer expurget &
ab omnibus tueatur aduersis,
ita ut sedulo officijs quiseq; suis
fungentes, indefinenter recor-
dentur se positos esse ad con-
seruandam Ecclesiam, quam tu
Iesu Christe redemisti tuo præ-
cioso sanguine.

III. Memento præterea, dul-
cissime Domine Iesu Christe
&

& miserere Imperatoris nostri
 N. cum tota familia sua, omni-
 umq; Regum, Principum & to-
 tius Christianitatis Magistra-
 tum Christianorum. Concede
 illis prudentiam, tuæq; pie-
 tatis dona, ut Regna, principa-
 tus, ditiones, ciuitates simul &
 subditos atq; incolas suos, ad
 sancti tui nominis gloriam, &
 suarum animarum salutem, in
 pace & tranquillitate fœliciter
 gubernent.

IIII. Memento N. N. & om-
 nium fratrum, sororum, con-
 sanguineorum, affinium, pro-
 pinquorū, amicorū & omnium
 benefactorum meorū tam spi-
 ritualium, quam corporalium,
 q̄ indignis orationibus meis se
 com.

QVA RATIONE

commendarunt, & qui mihi aliquid
quod charitatis officium & pie-
tatis studium impenderunt.
Etiam omnium inimicorum ac
debitorum meorum, necnon il-
lorum, quibus ego fui, & mihi
fuerunt, uel occasio, uel concau-
sa peccandi. Hos & illos misere-
ricorditer gubernare digneris
ne pereant. Memor etiam sis
omnium Hæreticorum, Schis-
maticorum & infidelium, ut il-
luminati, ad fidem tuam Catho-
licam conuertantur,

A L I A.

BREVISSIMA MEMORIA VIVO-
rum, iuxta temporis & loci ratio-
nem, ex D. August.

Memento Domine uniuersæ
sanctæ Ecclesiæ Catholicæ,
Virorum

uirorum & fœminarum, Religioforum & secularium & omnium rectorum Christianorũ, cunctorumq; in te credentium, qui pro tuo amore sancto laborant, ut perseverantiam boni operis obtineant. Et præsta, sacerdotibus concordiam, Regibus & Principibus iustè iudicantibus tranquillitatem & pacem, uirginibus castitatem. Tibi Deo opt: Max: dicatis, continentiam, coniugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, uiduis & orphanis sustentationem, pauperibus protectionẽ, peregrinantibus reditum, lugentibus consolationem, Nauigantibus in portum uenire salutis, Optimis ut
in

QVA RATIONE

in bonitate semper consistant,
bonis & mediocribus, ut melio-
res fiant. Prauè agentibus &
delinquentibus, ut citò se cor-
rigant & mihi peccatori, atq̃
omnibus illis, pro quibus me
orare uis, aut orare debeo, sis
propitius atq̃ clemens, & di-
uino tuo auxilio nos munias
atq̃ ad consequendam uitam
æternam conserues,
Amen.

ALIA ET COMMVNIS
memoria uiuorum,

Mei

	[Mei & omnium consanguineorum meorum.
		Omnia, quibus fui scandalum & grauamen.
		Omnia benefactorum meorum in spiritualibus & temporalibus.
Memento & miserere Do- mine Deus.		Omnia mihi commissorum in spe- ciali & in generali.
		Omnia Sacerdotum & Ministro- rum Catholice Ecclesie.
		Omnia inimicorum & debitorum ad dimissionem.
		Omnia Hæreticorum & infidelium ad conuersionem.
		Omnia pro quibus scis & uis me uelle & debere orare.

Sacerdos cum in canone maiori
perrexit usq; ad verba consecrationis, ibi,
quanta poterit diligentia recolligat se, & verbis
consecrationis totus fit intentus, & calicem
manu dextra discooperiat, cubitis super altare
positis stans inclinato capite, Verba per
Christū in ultima cœna, plata,
distinctè secretè ac reuerenter proferat super
hostiam

QVA RATIONE

hostiam & simul super omnes
 (si plures sunt) consecrandas, cum vera & in hoc
 libello superius expressa intentione consecran-
 di, sicut Christus consecrauit. Cum itaq; sacer-
 dos debitam & ad perfectionem sacramenti ne-
 cessariam intentionem habuerit conficiendi
 corpus & sanguinem Christi & omnes hostias
 consecrandi, pergat usq; ad initium verborum
 consecrationis.

VERBA CONSECRA-
 TIONIS.

Qui pridie (hic sacerdos tergat ter-
 digitos in corporali dicens) quã pateret
 (hic quando profert verbum **Accepit**,
 reuerenter etiam accipiat suam hostiam, eamq;
 pollicibus & indicibus tenendo, dicat) **Acce-**
pit panem in sanctas ac uenera-
 biles manus suas, & (hic sacerdos de-
 uotè erigat faciem & oculos in altum) **Ele-**
uatis oculis in cœlũ, ad te Deum
patrem suum omnipotentem
 (hic demittat vultum siue faciem & oculos cum
 intentione actuali dirigat ad hostiam eleuan-
 dam, quã sanctè teneat, sinistrae manus digitis
 consecratis; dextra verò manu, deuotè tundat
 pectus

pectus suum & pergat dicere) **Tibi gratias** agens (Hic tribus digitis prioribus super hostiam eleuandam, etsi plures adfuerint particulae (vt vocant) consecrandae, super omnes simul vnam crucem faciat, dicendo) **Bene dixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens** (Hic iterum Hostiam cum vtriusq; manus digitis accipiat, teneat & dicat intentè) **Accipite & manducate ex hoc omnes,** sequentia verba transubstantiationis, vno anhelitu eloquatur intentissime, **Hoc est enim corpus meum.**

Hic sacerdos eleuet hostiam in altum quantum commodè poterit & populo ostendet reuerenter adorandam quam tandem magna cum reuerentia, super corporale reponat. Factaq; Eleuatione, inspiciat digitos, si illis aliqua mica de Hostia consecrata adhaeserit, illam in calicem demittat digitosq; consecratos comprimat, etiã in consecratione atq; eleuatione calicis, donec ablutionem perceperit, & proferat sequentia calicem accipiendo.

Simili modo postquam cœnatum est, (statim deponat custodiam de calice, eundemq; reuerenter accipiendo dicat)

D Acci

QVA RATIONE

Accipiens & hunc præclarum calicem, in sanctas ac uenerabiles manus suas: Item tibi gratias agens, bene & dixit: dedit discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei: qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunq; feceritis in mei memoriam facietis, Hic eleuet sacer: calicẽ & postea in loco suo deponens, cooperiat, deinde extensis aliquantulum brachijs dicat, **Vnde & memores &c.** vt in canone habetur.

Cum sacerdos maiorem partem canonis iam absoluerit, & ad defunctorum memoriam peruenerit, eandem peragat modo præscripto per omnia, oculis tamen ad sacramentum in altari directis, agat autem commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi uidetur, vt in libello nostro de Missæ celebratione habetur, vel ita vt sequitur.

MEMO.

M E M O R I A
M O R T V O R V M E T I A M

hac ratione fieri potest in mente.

Deus esto ppitiūs animabus
auorum, parentū, fratrū, sororū,
affiniumq; consanguineorū,
propinquorum & amicorū
meorum, quorum tibi nota
sunt nomina. Et animabus
omnium benefactorum meorū,
quorū utor, uel usus sum,
Eleemosinis atq; beneficijs. Et
omnibus animabus in specie
uel in genere mihi commissis,
N.N. Et animabus, quæ mea oc-
casione in purgatorio torquen-
tur. Item animabus omnium
subitanea & improuisa morte
extinctorum, & omnium fide-
lium, quæ in sancta fide catho-

QVA RATIONE

lica ex hoc seculo migrarunt.
Specialiter tamen, quæ non ha-
bent singulares intercessiones
apud te, sed solùm commune
suffragium & preces commu-
nes &c. Ob meritum passionis
tuæ amarissimæ, ô Deus, tribue
istis & illis omnibus requiem
sempiternã, quàm olim Abrahæ
promisisti & semini eius, Hoc
est, quam præparasti
sanctis tuis.



ALIA COMMVNIS MEMO-
ria mortuorum.

Animas

Memento &
miserere Do-
mine Deus.

Animarum parentum, fratrum, so-
rorū & omnium consanguineo-
rum meorum.

Animarum, quæ occasione mei in
purgatorio puniuntur.

Animarū omnium, quarum usus sum
& utor beneficijs & elemosinis.

Animarum mihi commissarum in
speciali & in generali.

Animarum sacerdotum & ministro-
rum Catholicæ Ecclesiæ.

Animarū, quarum non est specialis
memoria in Ecclesia militanti.

Animarum omnium fidelium subita-
nea et improuisa morte exutarū.

Animarū omnium pro quibus scis &
uis me uelle & debere orare.

Sacerdos autem sciat, & reliquos sacro offi-
tio adstantes pariter doceat, quòd mortui intel-
ligantur hij, qui non secundum animam sed se-
cundum corpus, ex hac vita migrarunt, & in-
purgatorio ineffabilem pœnam patiuntur, pro
quibus sancta & salubris cogitatio est exorare,
vt à peccatis soluantur, 2. Mach. 12. Istorū enim
genua, scilicet infernorum, iuxta sacram expres-
sam scripturam, cum cœlestibus & terrestribus,
nomini Iesu flectuntur, Philip: 2. Et subtus ter-
ram benedicunt sedentem in throno. Apoca: 5.
Damnatorum verò superbia, contra DEVM

D 3 semper

QVA RATIONE

semper ascendit. Psal : 73. Vnde triplex est ordo laudantium deum, cœlestium, terrestrium & inferorum, non damnatorum : sed in purgatorio existentium, de his alibi.

Post sumptionem corporis & sanguinis Iesu Christi, & precibus ad illam in canone pertinentibus finitis, libroq; ad primū latus reposito,

Communi (vt vocant) et ultimam siue ultimas Missæ collectæ : accedat sacerdos absolueudas, cum reliquis necessarijs, Missale autem docebit quando **Benedicamus, uel, Ite missa est, Gloria in excelsis, & Credo** dicenda siue omitenda sunt. Post omnium ultimæ collectæ conclusionem Sacerdos osculerur Imaginem crucis, deinceps claudat librum & vertat se ad populum in medio Altaris, dicens.

Dominus uobiscum.

MINISTER

Et cum spiritu tuo.

SACERDOS REVERTENDO FACIEM ad Altare, dicat.

Ite Missa est, aut Benedicamus Domino, pro temporis exigentia.

MINI-

MISSA CELEBRANDA. 28

MINISTER.

Deo gratias.

SACERDOS.

Gratia & uirtus Domini
nostri Iesu Christi maneat semper
nobiscum.

MINISTER.

Amen.

SACERDOS.

Et anime omnium fidelium
defunctorum, per piam & ma-
gnam Dei misericordiam, re-
quiescant in sancta pace.

MINISTER.

Amen.

SACERDOS SIGNVM CRVCIS FA-
ciat super altare & osculetur illam
dicendo.

Sit nomen † Domini be-
nedictum.

D 4 Minis

QVA RATIONE
MINISTER.

Ex hoc nunc & usq̄ in se-
culum.

SACERDOS TANDEM CRUCEM
faciat in pectore suo proferendo.

Adiutorium † nostrum in
nomine Domini.

MINISTER.

Qui fecit cœlum & terram.

SACERDOS CONCLVDAT MISSAM
& Christianos eiusdem celebrationi adstantes,
trina cruce benedicat sequentibus
verbis.

Oremus.

Benedictione cœlesti (in fron-
te faciat crucem) Benedicat nos (in pe-
ctore †) Diuina maiestatis (ad altare
†) & una Deitas (Hic vertat se & faciat
cruce ad dextrum cornu Altaris) Deus †
pater (ad populum) & † filius (in sinistro
cornu) & † spiritus sanctus.

MINI.

MISSA CELEBRANDA. 29

MINISTER VEL IPSIMET BENE-
dictionem accipientes respondeant.

Amen.

HIS PERACTIS, FLEXIS GENI-
bus in medio altaris & iunctis manibus con-
clusiue ad DEVM loquatur
sacerdos.

Placeat tibi sancta Trinitas
obsequium seruitutis meæ, &c.
vt habetur in libro Missali.

DEINDE RESVRGAT SACERDOS
& facta sancta cruce in medio altaris su-
perfixo osculo dicat.

Meritum istorum & omnium
sanctorum, protegat nos omni-
potēs pater & misericors Dñs.

MINISTER

Amen.

SACERDOS.

TANDEM RECITET INITIVM E-
uangelij S. Ioannis & relinquat altare cum
canticis S. Simeonis.

D 5

Nunc

QVA RATIONE

Nunc dimittis seruū tuum
Domine, secundum uerbum
tuum in pace. Quia uiderunt
oculi mei, salutare tuum. Quod
parasti ante faciem omnium
populorum, &c.

NOTANDVM.

Quæ in Missa geruntur, ut sunt
ceremoniæ, cantus, uestes & reliqua,
quæ mysteriū passionis Christi refe-
runt, non pertinent ad Missæ substan-
tiam, sed ab Apostolis, sanctisq; pa-
tribus, Catholicæ fidei nostræ præ-
decessoribus, honoris & reuerentiæ
atq; etiam deuotionis & pietatis ex-
citendæ causa, composita atq; con-
stituta sunt; Vnde ad sacrificium im-
mediatè spectant, quibus aduersarij
illegitimè ornant sua con-
uenticula.



NOTA: II.
DE HORIS CANO-
NICIS.



DE HORIS

INTENTIO AVTEM ET ANIMI
propositum ad horas Canonicas quottidie, sa-
pienter, ardentè Humiliter, fideliter, per-
seueranter & purè dicendas
hæc sit.

Volo ex debita obedientia,
laudes & gratiarum actiones
debitas, Deo meo absoluerè
nimirū honoris uenerationisq̃
impendere obsega atq̃ ex p̃po-
sito ab illis animū non auertere.
Quia non satis est Clericum diuinis officijs in-
teresse corpore, nisi etiam animo sit præsens.

HABITA IGITUR PRAEDICTA
intentione, sacerdos præmittat subsequenter
orationem ad Deum.

Suscipe sancte Pater omni-
potens æterne Deus per unis-
genitum filium tuum & Do-
minum nostrum Iesum Chris-
tum & spiritum sanctum para-
cletum, coæternum tibi & coæ-
qualem

qualem, Has preces Psalmorum & orationum, quas indignus peccator ad laudem & gloriam tui sanctissimi nominis, (Hic notandum si fuerit festum seu feria vel de Beata virgine vel de aliquibus sanctis, &c. tunc subiungatur, ac in honorem Beatissimæ virginis Mariæ, & N. N. omnium sanctorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum & omnium Electorum tuorum, &c.) pro peccatis, negligentijs & sceleribus tuæ amarissimæ passionis memor, decantare cupio & intendo, ut per tuam magnam misericordiam (& intercessionem Beatissimæ virginis Mariæ & omnium sanctorum tuorum, quorum vel cuius festiuitas hodie celebratur &c.) quicquid per totum uitæ meæ spatium contra diuinæ maiestatis tuæ pietatem deliqui, piè delere & misericorditer abstergere atq; obliuioni perpe-

DE HORIS

perpetuò tradere, Mihiq̃ concedere digneris ueram confessionem ac pœnitentiam, emendationem simul & uberem lachrymarum fontem: ut ea uoluntaria castigatione (te propiciante) in hac uita delere ualeam, & post hanc miseram atq̃ lamentabilem uitam, cùm ante conspectum Diuinæ Maiestatis tuæ Præsentatus fuero, te sine confusione & absq̃ opprobrio inimicorum meorum uidere, letus & securus ante te uenire, merear. Qui uiuis & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Vel

VEL BREVITATIS CAUSA SE-
quens pramittatur.

Benigne et misericors De-
us, qui reuocas errantes & sal-
uas pœnitentes, qui medelam
tribuis ægrotantibus & gloriæ
coronam perseverantibus: Ex-
audi nos miseros & indignos
famulos tuos, per hos psalmos
& preces clementiam tuam im-
plorantes, ut & eorum sensum
spiritalem nobis aperias, &
quicquid humiliter hic ora-
mus, te largiente adipisci me-
reamur. Per Dominum nostrū
Iesum Christum filium tuum,
qui tecum uiuit & regnat in
unitate spiritus sancti DEVS,
per omnia secula seculorum,
Amen,

Hoc

DE HORIS

HOC MODO SI PRAESBYTER
suas absoluerit preces cum D. August. ve-
rè credere & dicere potest.

Oratio est clavis cœli. Nam
ascendit precatio, & descendit
Dei miseratio, licet alta sit terra,
altum cœlū, audit tamen Deus
hominis linguam, &c. Hæc ille.

FINITAS HORAS CANONICAS
sequens conclusio comitetur.

Has horas Canonicas cum deuotione,
tibi Domine Iesu Christe recolo
pia ratione, ut qui pro me passus
es amoris ardore, sis mihi solatio in
mortis agone, Amen.

Adoramus te Christe & benedicimus
tibi.

Quia per sanctam crucem tuam
redemisti mundum.

Oremus.

Omnipotens sempiternæ & misericordissimæ
Deus, dare digneris,
mihi misero peccatori, omnium peccatorum
catorum

catorum meorum remissionem, & gratiam ambulandi, in perfecto timore tuo, & perseverandi in bonarum uirtutum operibus, Hoc est in sancto seruitio tuo in æternum perpetuòq; me misericorditer digneris præseruare ab æterna damnatione, & ad tuã diuinam gloriam mihi tribuere cœlestem Beatitudinem, ad quam, à diuina bonitate tua factus, uocatus & ordinatus sum, Qui uiuis, &c.

ORIGINALIS DEMONSTRATIO HORARVM
Canonicarum.

Christi Ecclesia, docta sancto spiritu, & memor Propheticæ illius exhortationis: Cantate Domino canticum nouum, benè psallite ei in uociferatione, dicit cum eodem Propheta: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et filios suos ad idem excitans: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.

E

Atq;

DE HORIS

Atq; eodem Doctore spiritu ordinauit, ut in templis, conuentibus & monasterijs essent chori, qui omnibus horis, uicibus alternis, sancta quadam æmulatione laudes DEO concinerent, cœlestem illam HIERUSALEM hac parte quadã tenus referentes: In qua scribuntur duo.

CHERUBIN clamare alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus dominus DEVS Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Ad idem angelico partim prouocata exemplo, quinato SALVATORE laudabant Deum, & gloriæ canticum illi concinebant, dicentes: Gloria in excelsis Deo.

Partim uerò discipulorū Christi, eo Hierosolymam introeunte à suscitato LAZARO, qui cœperunt (ut inquit Lucas) gaudentes laudare Deum super omnibus, quas uiderant uirtutibus dicentes: Benedictus, qui uenit rex in nomine domini, pax in cœlo,

cælo, & gloria in excelsis, Quod cum molestè ferrent Pharisæi, quemadmodum nunc isti Sathanæ & Antichristi Apostoli, & dicerent Domino, ut increparet discipulos suos, illis ipse respondit, Dico uobis, quia si hi tacerent, lapides clamarent.

Certè hunc ab initio fuisse Catholicæ Ecclesiæ morem, uel ab ipsis eius incunabulis clarissime attestatur PHIL O ille IVDÆVS in libello, quem inscribit de uita contemplatiua supplicū, quòd uidelicet cœlestia contemplarentur, & semper Deum orarent, ut libri titulum interpretatur diuus HIERONYMVS. In quo uir ille Ecclesiasticæ institutionis initia, & originem Apostolicæ atq; Euangelicæ traditionis, ut inquit Eusæbius, intexuit: sed fidei nostræ mysteria perspecta planè non habens, suæ genti id nostræ laudis ducebat gloriæ, unde

E 2 uidebas

uidebatur PRIMITIVA illa nostra ECCLESIA traxisse originē.

Est, inquit, in multis orbis partibus hoc hominum genus. Oportebat namq; perfecti huius boni particeps fieri omnem Græciam, omnemq; Barbariam. In Ægypto tamen maior est copia per singula quæq; territoria, præcipuè autem circa Alexandriam, &c.

Est autem in singulis apud eos locus consecrata (inquit) domus, quæ appellatur conuentus aut Monasterium: In quo secedentes honestæ & castæ uitæ mysteria celebrant. Et post multa de uitæ eorum instituto, exercitijs & studijs, quod ad propositum attinet, Non solum, inquit, subtilius intelligunt Hymnos ueterum, sed ipsi faciunt nouos in Deum, omnibus eos & metris & sonis, honesta satis & suaui compage modulantes. Addens deinde eius modulationis morem, dicit, ut unus ex omnibus confurgens, in medio Psalmum honestis modulis

modulis concinat, utq; præcinenti ei unum uersiculum, omnis multitudo respondeat. Hæc ille Philo de nostræ Ecclesiæ (ut ita dicam) infantia, qui Christi & Apostolorum uixit temporibus.

Sic & sancti Patres, præsertim Diuus Augustinus, Flebam, inquit, uberrimè in Hymnis & cantibus, sua uè sonantibus, Ecclesiæ uocibus uehementer affectus, uoces quidem influebant in auribus meis, & ueritas eliquebatur in cor meum.

Et Diuus ille AMBROSIVS in quadam oratione aduersus Maxentium, de basilicis tradendis: Itaq; & hodie, inquit, cum laudetur CHRISTVS, Arrianorum amentia uerberatur. GEZARENI præsentiam Christi ferre non poterant, isti nec laudationem Christi sustinere possunt. Vident pueros CHRISTI gloriam concinentes, quia scriptum est: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, Irrident istam ætatem
E 3 tulam

DE HORIS

culam fidei plenam, & dicunt: Ecce quid clamant? Sed respondet ihs Christus: Si tacuerint hi, lapides clamabunt, hoc est, fortiores clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, clamabunt & senes. Haftenus Ambro:

Vides itaq; etiam hac in re obseruationem catholicæ Ecclesiæ sibi per omnia consonam: Et quemadmodum nunc ad præsentem usq; tempestatem per hæreticos hos excitatam, toto orbe terrarum, quacunq; patet nomen Christianum, obseruari uidemus, idem obseruatum fuisse à patribus nostris, à quibus fidem didicimus in Catholica Ecclesia, idem obseruatum temporibus Augustini & Ambrosij, idem quoq; ipsis Apostolorum temporibus. De his copiosè apud Alber: Pighium Camp. lib. Hierar. Eccle. 1. Cap. 7. & Euseb. Eccle. hist. lib. 2. Cap. 17.

INSUPER.

Horæ canonicæ quamuis omnes
(ut prædictū est) rationabili auctoritate

tate celebrentur, & nihil in eis obseruatur, quod non exempla uel dicta Sanctorum patrum confirmant, tamen quædam manifestioribus sunt dedicatæ documentis, ut ipsum Dominum nostrum in oratione legimus pernoctasse. Paulum quoque & Sylam noctis medio orasse in carcere, terræ motus ostendit. Circa tertiam in Apostolos orantes Spiritus sanctus descendit. Hora sexta Petrus ascendit in cœnaculum ut oraret. Idemque cum Iohanne in templum ad horam orationis nonam, in quâ etiam orante Cornelio Angelus apparuit, (Luca 6. Act. 16. Item Act. 2. 10. & 3.) Præterea primitiuam Ecclesiam hymnos &c. ante Gallicantum celebrasse, legitur apud Euseb: lib. 2. cap. 17. in Hist Ecclesia: Et V Valfridum Strabonum de exordijs rerum Ecclesiasticarum cap. 25.



DE HORIS

DE DIGNITATE SACERDOTVM MYSTERIA S.S.

*Missa tractantium D.**August:*

O ueneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius uelut in utero uirginis, incarnat. O fœlices sacerdotes, si sacerdotaliter uixeritis. O cœleste mysterium, quod per uos Pater & Filius & Spiritus sanctus tam mirabiliter operatur super tam ineffabili ministerio uestro, quod uno eodemq; momento idem Deus, qui præsidet in cœlo, in manibus uestris est in sacrificio, Cœlum miratur, Horrescit infernus, Contremiscit Diabolus, Reueretur quàm plurimum angelica celsitudo. Quid retribuam Domino (ut taceam de cæteris, quæ tribuit mihi) pro tam singulari dono sacerdotij mihi impenso: quod est datum optimum, & donum perfectum? Verbi gratia: Ille, qui creauit me sine me, creatur mediante me. Et ille, qui ex nihilo cuncta creauit

uit

uit sine me, si fas est dicere, dedit mihi
creare se. O uenerabilium sanctitudo
manuum. O felix exercitium, ubi tra-
ctat Christum sacerdos Dei filium,
cuius deliciae sunt esse cum filiis ho-
minum. O sacerdotes, attendite: ma-
ior est dignitas uobis collata, quam
angelis, qui adorant, quod uos confi-
citis, nec ipsi conficere possunt. O
altitudo sapientiae Dei. O ineffabilis
clementia Saluatoris. Quod datum
non est angelis, concessum est homi-
ni. Sacerdos hoc Sacramentum ineff-
abile conficit: angelus conficienti si-
bi quasi famulus adsistit. O quam ue-
nerabile, quam gloriosum, quam in-
signe fuit apud antiquos nomen sa-
cerdotij: sed hodie quid abiectius
eo? quid uilius? O sacerdotes, si ani-
ma cuiuslibet iusti sedes Dei, multo
magis sedes & templum Dei esse de-
betis mundum & immaculatum. Si
sepulchrum eius gloriosum est, in
quo corpus iacuit exanime: glorio-
siora & digniora esse debent corpora

E s uestra,

DE HORIS.

uestra, qui à morte suscitatus quoti-
die dignatur inhabitare. Si beatus est
uenter, qui nouem mensibus Chri-
stum portauit: ita etsi non tantum, ta-
men beata debent esse corda uestra,
in quibus quotidie eligit sibi hospi-
tium filius Dei, Si beata sunt ubera,
quæ paruulus suxit: ita debet esse os
beatum, quod carnem eius sumit, &
sanguinem sugit. Carnes ergo uestras
cum timore eius configite, & uobis
diligenter prouidete, ne lingua lo-
quendo, quæ uocat de cœlo filium
Dei, contra Dominum loquatur. Et
ne manus quæ intinguntur sanguine
Christi, polluantur sanguine
Christi. Hæc ille.



Nota.

NOTA. III.
DE SACRAMENTALI AB-
SOLUTIONE.



Boni & fidelis Sacerdotis officium est, vt cu-
ret sibi diligenter & ritè fieri confessionem,
cum enumeratione omnium peccatorum, quo-
rum confitens meminisse poterit. Illa cum vera
discretionè audiat, vt inter lepram & non le-
pram ritè discernat. Ad hæc caueat, ne aut ho-
mines faciat securos nimis, sibiq; fidentes, Aut
anxia dubitatione in desperationem impellat.
Itaq;

DE SACRAMENTALI

Itaq; cum Paulus dicat. Se quidem nullius peccati conscium, sed in hoc tamen non iustificatum esse: Homo non potest sine dubitatione propria infirmitatis, aut indispositionis, credere sibi peccata remissa esse, sed tamen non se in seipso iactare: Non ita tamen terrendus est, ut de promissis Dei, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet, & desperet se remissionem peccatorum & salutem consequi posse. Quin et omnis spes, & totius fidutiæ certitudo, esse debet in pretioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem. in quo ipso respirare nos, atq; confidere, & possumus certò & debemus, confirmante nos spiritu sancto (Rom : 8.) qui dat testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei.

Ideirco iuxta mandatum Iesu Christi saluatoris nostri dicentis: Sicut me misit Pater meus, ita & ego mitto vos, &c. Quorum peccata remiseritis aut retinueritis in terris, erunt remissa aut retenta in cœlis. Item vade ostende te sacerdoti, &c. tùm confitentis tùm absoluentis, ad confessionem faciendam simul & dandam atq; accipiendam absolutionem non consuetudo sed debita exigitur intentio, (Ioan : 20. Matth : 8. Lucæ 5. 4. & 17.)

FORMA COMMVNIS ABSOLVTI
onis, pro quolibet confessario, Ex Gerlone
(prævia pœnitentia in iuncta)
dicendæ.

Dominus

Dominus noster Iesus Christus, per suam misericordiam dignetur te absoluerè, & ego auctoritate ipsius te absoluo à sententia excommunicationis minoris, si quam incurristi et à peccatis tuis, In nomine patris † & filij & spiritus sancti, Amē.

ALIA, IN RECONCILIATIONIBUS breuibus, per impositionem manus super caput consentis (quàm primùm sacerdos ei iniunxerit pœnitentiam) dicenda.

Misereatur tui omnipotens Deus & dimissis omnibus peccatis tuis, perducatur te Iesus Christus in uitam æternam. Resp. Amen.

DEINDE SACERDOS REMOVENS manum, subdat.

Dominus noster Iesus Christus, qui est summus pontifex, per

DE SACRAMENTALI

per merita suæ benedictæ passionis te absoluat, & ego auctoritate ipsius, mihi licet indignissimo concessa, absoluo te in primis à uinculis excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possumet indiges: Deinde te absoluo ab omnibus peccatis tuis, In nomine patris ⁊ & filij & spiritus sancti, Amen.

Notandum præterea est, quòd forma absolutionis iuxta concilium florent: consistat in his uerbis. Ego te absoluo, vel, quod idem est, Te absoluo, Reliqua sunt de decentia, tam impositio manus super caput, quam uerba ante & post Absolutionem usitata: sed omitti non debent. De his plura in Directorio ad confessarij & confitentis munus, M. Ioan: Polanci Soc: Ies: Theologi, præsertim uerò in Tracta Sac. Nicolai de Ploue. Itē confessionale B. Thomæ Aquin:

FORMA AVTEM ABSOLVENDI
ægrotos debet esse ut sequitur.

Sciendum uerò est, quòd omnis sacerdos circa quemlibet moriturum, primò ad eum ueniens ita querat iuxta consilium Anhelmi, ut in nostro

stro Germanico libello, cuius titulus est (Form
vnd weise wie man die Krancken besuchen vnd trös-
sten sol.) præscribitur. Interrogationibus illis
præmissis & audita confessione, non iniungen-
do, sed innotescendo pœnitentiam, sic imposita
manu ad eius caput eum absoluat.

Misereatur tui Deus omnis
potens & dimittat tibi peccata
tua & perducatur te in uitam eter-
nam. Resp. Amen.

Indulgentiam, absolutionẽ
& remissionem omnium pec-
catorum tuorum, cor semper
pœnitens, perseuerantiam in
bonis operibus, gratiam & con-
solationem sancti spiritus, finẽ
bonum, uitam æternam tribuat
tibi omnipotens Deus, pius pa-
ter & misericors Dñs. R. Amẽ.

HIC PARITER REMOVEAT MA-
num sacerdos & subiungat.

Dominus noster Iesus Chris-
tus te absoluat ab omnibus
peccatis

DE SACRA: ABSOLV:

peccatis tuis, quæ commisisti
cogitatione, locutione, opere &
omissione: Et ego auctoritate
Domini nostri Iesu Christi, qua
fungor in hac parte, te absoluo
ab omnibus sententijs excom-
municationis minoris & maio-
ris, ab homine uel à canone in te
latis, & ab omnibus peccatis
tuis, Deo & mihi confessis, con-
tritis & oblitis, & restituo te in
gremium sanctæ matris & par-
ticipationi Sacramentorum ✠
In nomine patris & filij & spi-
ritus sancti, Amen.

NOTA COMMVNIS

Post iniunctam pœnitentiam & absolu-
tionem dictam, abeunti dicatur ex Ioan: 5. & 8.

Vade in pace & noli amplius
peccare, ne deterius quid
contingat tibi.



Appen

APPENDIX

DE VERA CHRISTI ECCLESIA
 & differentia inter bonos & malos sacerdotes,
 cum breuissima instructione, De opere
 operato in Missa, &c,

Verba Christi (utpote Tu
 es Petrus, & super hanc petram
 ædificabo Ecclesiam meam &
 portæ inferorum non præuales
 bunt aduersus eam, Matt: 16.)
 Non sunt temerè dicta, sed fir
 ma sunt & perpetuò sic mansu
 ra. Impugnabitur quidem Ec
 clesia, uinci tamen non poterit.
 Tempestates & magna mala
 suscipit, sed non demergitur.
 Tanquã mater pia & patiens,
 infinitis persecutionibus & de
 uastationibus obruta, multa qui
 dem tolerat, quæ tamen non
 approbat. Iacula in eam mit
 tuntur

DE ECCLE:

tuntur tam à Iudæis & ethnicis,
 quàm etiã à perfidis & præfra-
 ctis hæreticis, satis acutè fabri-
 cata: sed non perforatur, &c.
 Quilibet ueræ pietatis & Chris-
 stianæ mentis homo consideret
 & perpendat, Tyrannos, Gla-
 dios acutos, Bestiarum dentes
 mortem minantes, &c. sed quid
 illi proficere potuerunt contra
 Ecclesiam: Fuerunt Donatistæ,
 Euchetæ, Arriani, Iouiniani,
 Vigilantiani, Petrobrusiani,
 Pelagiani, Ætiani, & alij innum-
 merabiles Hæretici, sed perie-
 runt nec potuerunt ualere con-
 tra Ecclesiam, &c. Plura lege
 apud Ioan: Hoffmeisterum &
 in catholicissimi Doctoris Do-
 mini

mini Georgij Æderi Oratione
pro fide Catholica ædita.

PERIBVNT ETIAM HAERESSES,
hoc nostro tempore grassantes,
certum est.

Vt autem hæreses citò pereant, non parùm in nobis Catholicis situm est. Tractemus nos sanctè quæ sancta sunt, ueritatem nos humiliatis cordibus ad Dominum Deum, emendemus uitam in melius. Iam actum erit de hæreticis,

Omnis enim hæresis (per quam illi qui probati sunt manifesti fiant) pœna peccati est, Tollamus itaq; peccatum, & sanctum sanctorum sanctè tractemus, nullum dubium est, quin hæreses & omnia mala cessabunt.

DE ECCLB:

MALI MORES & PESSIMA VITA
cleri nemini alij nisi sibi met ipsi, ad animę salu-
tem obstaculo sunt. Est itaq; differentia
inter bonos & malos Sa-
cerdotes.

Diuus August: ille maxi-
mus, eruditione & pietate cla-
riss: Antistes, hoc negotium
contra Parmenianum Donatis-
tam, tractans inter cętera sic di-
cit, Spiritus sanctus in Ecclesię
præposito uel ministro, sic in-
est, ut si fictus non est, opere-
tur per eum spiritus sanctus, &
ad eius mercedem in salutem
sempiternam, & eorum rege-
nerationem, uel ædificationem,
qui per eum siue consecrantur
siue Euangelizantur. Si autem
fictus est, quoniam uerissimè
legitur. Spiritus sanctus, disci-
plinæ

pline effugiet fictum, deest quidem salutem eius, ut auferat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Ministerum tamen eius non deserit, quo per eam salutem operatur aliorum, &c. (lib. 7. cap. 11.)

EGO IMPIETATI NON PATROCINABOR, nec mea nec alicuius peccata excusare conabor, sed hoc dico & subsequentem differentiam inter bonos & malos ministros fiendam puto,

Si spiritus sanctus, non nisi per bonos ministros operetur, in magno periculo certè uersatur Ecclesia. Nam si spiritus sanctus per solos bonos operetur, Ergo soli boni baptisant, soli boni prædicant, soli boni Eucharistiam & alia Ecclesiæ Sacramenta administrant, &c.

Euangelium prædicauit haud
dubiè, sine detrimento fideliũ,
Iudas, Fur & proditor Domini
sui, &c. Et qui baptisati sunt à
Iuda, non minus baptisati sunt
quàm quos baptisauit Petrus.
In hoc tamen differunt, quo mi-
nisterium ipsum, Iudæ in perni-
ciem. Petro uerò ad fœlicitas-
tem celsit.

HACQVE RATIONE IN MISSAE
sacrificio, de opere operato sentiendum
& dicendum est. Ut
pote.

Nemo sibi persudeat, Missam
ex opere operato iustifica-
re aut gratiam & remissionem
peccatorum conferre, sicut qui-
dam falsò nobis imputant. Re-
ctè autem dicimus & docemus
Missam

MISSAM SECVNDVM
 SE EX OPERE OPE-
 RATO semper ualere & bonam
 esse, etiamsi celebrans,
 Missam non sit bonus, sed in-
 dignè celebrans, & re sanctissis-
 ma abutens iudicium sibi man-
 ducat & bibit. Quia p̄ OPVS
 OPERATVM intelligimus
 institutionem Christi & sacra-
 mentum secundum se, sicut à
 Deo institutū est, Quemadmo-
 dum & de Baptismo dicimus,
 quòd ex parte OPERIS O-
 PERATI, semper ualeat &
 bonus sit: Licet ex parte ope-
 rantis, hoc est, baptisantis aut
 suscipientis non semper sit bo-
 nus. Si celebrans in peccato
 mortali scienter celebrat, gra-

uissimè proculdubio peccat, & opus malum (quantum ad se ipsum attinet) facit, Malum scilicet sibi, alijs tamen bonum, quia non probat se ipsum: sed indignè tractat, ibiq; sanctum sanctorum indignè manducat, & bibit. Missa tamen (ut summatim dicatur) propterea mala non est ex opere operato, hoc enim est institutum & opus Dei, quod ministri malitia malum facere non potest. Semper igitur bona est missa ex opere operato, & prodest ipsis, pro quibus celebratur (nisi ponant obicem) tam uiuis quam mortuis, non tam propter opus operantis, sed propter opus operatum,

tum, quod est opus & institutum Christi, optimus sanè & saluberrimus Ecclesiæ per Christum thesaurus. Hinc gloriosus Hieronymus positus in extremis, in præsentia dominici corporis locutus est Christo: Væ sumentibus te indignè, certè ad sui reatum & pœnam te denuò crucifigunt, &c. Plura in libro nostro de salutari præparatione ad S.S. Missæ celebrationem.



DE ECCLĒ:

CARMEN.

DE DIGNITA
TE SACERDOTVM

verè Catholicorum aduersus dissolutos &
impios. Ex vetustiss; quo
dam libro.

Viri uenerabiles sacerdotes Dei,
Præcones altissimi, lucernæ dici,
Charitatis radio fulgentes & spei:
Auribus percipite uerba oris mei.

Vos in sanuario Deo deseruitis:
Vos uocauit palmites Christus uera uitis.
Cauete ne steriles aut inanes sitis,
Si cum uero stipite uiuere uelitis.

Vos estis Catholice legis protectores;
Sal terra, lux hominum, ouium pastores,
Muri domus-Israel, morum correctores,
Iudices Ecclesie, gentium Doctores.

Si cadat protectio legis, lex habetur:
Si sal euauerit, in quo salietur?
Nisi lux appareat, uia nesciatur:
Nec si pastor uigilet, ouile frangetur.

Vos cœpistis uineam Dei procurare;
Quam doctrina riuulis debetis rigare.
Spinam atq; tribulos procul extirpare,
Ut radices fidei possint germinare.

Vos

Vos estis in area boues triturantes,
Prudenter à palea granum separantes.

Vos habent pro speculo legem ignorantes,
Laici, qui fragiles sunt & inconstantes.

Quicquid uident Laici uobis displicere,
Dicunt procul dubio sibi non licere.

Quidquid uos in opere uident ad implere,
Credunt esse licitum, & culpa carere.

Cùm pastores ouium sitis constituti,
Non estote desides, sicut canes muti.

Vobis non deficient latratus acuti:
Lupus rapax inuidet ouium saluti.

Grex fidelis triplici cibo sustinetur,
Corpore dominico, quo salus augetur:

Sermonis compendio, quod discretè detur:
Mundano cibario, ne periclitetur.

Quibus en tenemini uerum predicare:
Sed quid, quibus, qualiter, ubi, quando, quare,

Debetis sollicitè reconsiderare,
Ne quis in officio dicat uos errare.

Spectat ad officium uestræ dignitatis
Gratiæ petentibus dona dare gratis.

Sed si inquam fidei munera uendatis.
Incurfuros Giezi lepram uos sciatis.

Gratis eucharistiam plebi ministrare,
Gratis confitemini, gratis baptizate:

Secundùm Apostolum cunctis gratis date:
Solùm id, quòd fuerit uestrum, conseruate.

Vestra

DE ECCLE:

Vestra conuersatio sit religiosa,
Munda conscientia, uita uirtuosa,
Regularis habitus, mensq; gratiosa:
Nulla uos coinquinet labe criminosa.

Nullus fastus deprimat uestre signum mentis.
Grauis in intuitu, habitus sit testis;
Nihil uos illaqueet curis inhonestis,
Quibus clauis traditæ sunt regni cœlestis.

Estote breuiloqui, ne uos ad reatum.
Pertrahat loquacitas, nutrix uanitatum.
Verbum, quod proponitis, sit abbreviatum:
Nam in multiloquio non deest peccatum.

Estote beneuoli, sobrij, prudentes,
Iusti, casti, simplices, pij, patientes,
Hospitalis, humiles, subditos docentes,
Consolantes miseros, prauos corrigentes.

Vt inam sic gerere curam pastoralem
Possitis, & ducere uitam spiritalem,
Ut cum exueritis chlamydem carnalem,
Induat uos Dominus stolam æternalem.

Qui sedet in folio summæ maiestatis,
Vos purgar à uitio, mundet à peccatis:
Vobis sit auxilio uestre pietatis:
Ut Abrahæ in gremio tandem sedeatis.

A M E N.

1. Corint. 3.

Nescitis quia templum Dei estis,
& spiritus habitat in uobis: si quis au-
tem templum Dei uiolauerit, disper-
det illum Deus.

1. Corint. 6.

Tollens ergo membra Christi, fa-
ciam membra meretricis? absit.

Hinc, O sacerdos os tuum (inquit
D. aug:) quotidie receptaculum &
quasi sepulchrum Christi efficitur,
cur unquam mentitur? cur lubrica
loquitur? cur anima tua uitiosa affici-
tur? Cur oculi tui aspiciunt uanita-
tem, qui quotidie in altari ante se ha-
bent Christum altissimam ueritatem?
Cur manus tuas extendis ad illicita &
immunda, quæ tractant præstantissi-
ma ac illibatissima sacramenta? Cur
te uino aut ebrietate ingurgitas, qui
saluatoris sanguinem potas, & spiri-
tuali refectione plenus consistere de-
bes? &c.

Plura apud eundem & Dionysiu
Richel Cartusien: De uita Sacerdo:
& Cano: Act. 14. Index

INDEX CON- TENTORVM,

Absolutio sacramentalis, folio	38.
Absoluens quomodo erga confiten- tes se gerere debeat, fol.	32
Conclusio Horarum Canonicarum, fol.	32
Demonstratio Horarum canonica- rum, folio	33.35
De dignitate sacerdotum Myſteria, S. S. Miſſæ tractantium, D. Aug. fol.	36
Forma communis Absolutionis ex Gerſo. fol.	33
Forma absolutionis in reconciliatio- nibus breuibus, folio.	39
Forma absoluendi ægrotos & quo- modo circa illos sacerdos se gere- re debeat, folio	39.40
Intentio ad celebrandum, que & qua- lis debet esse, folijs	2.4,24
Intentio quottuplex, folio	4
Intentio & attentio quomodo diffe- runt, folio	6
	Intentio

Intentio ad horas Canonicas absol- uendas, folio	30
Missã quid sit, folio	2
Missã qua intentione celebranda, folio	2
Memoria uiuorum & mortuorum, folio	21.22.24.26.27.
Oratio ante horas ad Deum præmit- tenda, folio	30. 32
Oratio quid sit, folio	37
Pœna indignè celebrantis, folio	8
Præparatio ad dignè celebrandam missam, folio	1
Ritus Missam Catholicè auspicandi, celebrandi, folio	9
Sacrificium Missæ quottuplex. fol.	6

AD LECTOREM.

In sequente erratorum cathalogo, priori nu-
mero pagina, posteriore linea, deinceps vera
innuitur lectio.


Pag: 9. linea penultima, Sanctõrũ lege sancte.


Pag: 11. linea 10. fratres lege fratres.

Pag: 16. linea 10. deinde lege dicendo.

Cætera vel leuiora vel nulla, vel si alicuius
momenti sunt, non nostra, sed Archetypi sunt,
quæ pius lector ipsemet corrigere non grauetur.

F I N I S.





B 839 - B 841



B 839 -
841